Quelle: http://manuscripta.at/?ID=36485
Copyright: Göttweig, Benediktinerstift

corporeum esse contendit. a quo iste in hoc dissentiens mirabili
ora persuadere molitur. deum incorporeum non de nihilo facere. sed
de se ipso flatum efflare corporeum. O doctrina cui omnis etas au
res subrigat. que homines ad miros. que denique presbyteros me
reatur habere discipulos. Legat. legat in contione quod scripsit notos
atque ignotos. doctos atque indoctos. recitaturus inuitet. seniores
cum iunioribus conueniant. quod nesciebatis discite. quod numquam
audieratis audite! Hec tester docente. non aliunde quod ali
quomodo est. nec ex eo quod omnino non est. deus flatum creat. sed ex eo
quod ipse est cum sit incorporeus. corpus sufflat. Naturam ergo suam
aut quam mutet incorpore peccati. ipse mutat in corpus.
An dicet quod ex natura sua non mutat aliquid cum flatum facit? Non
ergo cum de se facit. Non enim aliud est ipse. aliud natura eius.
Quis hoc insanissimus opinetur? Quod si dicit. ita deum de sua na
tura facere flatum. ut ipse integer maneat. non inde questio est.
sed utrum quod non aliunde. nec de nihilo. sed de illo est. non hoc sit
quod ille. id est eiusdem nature et essentie. Nam et filio genito in
teger manet. Sed quia eum de se ipso non aliud genuit. quam id
quod est ipse. excepto enim quod hominem adsumpsit. et uerbum caro
factum est. Alius est quidem uerbum dei filius. sed non est aliud.
hoc est alia persona est. sed non diuersa natura. Et unde hoc est
nisi quia non creatus ex aliquo uel ex nihilo. sed natus ex ipso. non ut melior
quam erat esset. sed omnino ut esset et quod est ille. unde natus est esset.
hoc est unius eiusdemque nature equalis coeternus. omnimodo similis.
pariter inmutabilis. pariter inuisibilis. pariter incorporeus. pariter
deus. Hoc omnimodo quod pater. non quod filius est ipse non pater. Si autem
manet quidem ipse integer deus. nec tamen de nullo uel de alio
sed de se ipso. diuersum aliquid inferiusque creat. et de incorpo
reo deo corpus emanat. absit ut hec catholicus animus bibat.
Non enim est fluentum fontis diuini. sed figmentum cordis huma
ni. Iam uero quam incepit laborem animam quam putat esse